



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiарvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare spiritui sancto tribuatur incarnatio, cum sit opus trinitatis. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

rat & parua, ut humano visu vix posset subiici: die
 b^o a. illis quo Aug. memorat perfecta est, & no-
 tabilis facta. Incarnatū est ergo verbū ut ait Ioan. *Ioan. Dam.*
Damascen. & à propria incorporalitate non ex- *li. de ortho.*
 cessit: & totum incarnatum est, & totum est incir- *fide 3. cap. 7.*
 cunscriptum. Minoratur corporaliter & cōtrahi- *in fine.*
 tur: & diuinè est incircunscriptum: non coexten-
 sa carne eius cum incircumscripta diuinitate. In
 omnib. igitur qui super omnia erat, & in vero
 sancte genetricis existebat, sed in ipso actu incar-
 nationis.

QVARE IN SCRIPTURA SÆPIVS TRI-
 buatur incarnatio quæ est opus Trinitatis. spirituis an-
 cto, & de ipso etiam conceptus & natus di-
 catur.

DISTINCT. IV.

A

CVm vero incarnatio verbi sicut in superiori-
 bus tractatum est, operatio verè sit patris & fi-
 lii & spiritus sancti, investigatione dignum nobis
 videtur, quare in scriptura spiritui sancto hoc o-
 pus s̄epius tribuatur, & de ipso Christus conce-
 ptus & natus memoretur. Non enim ideo opera-
 tio incarnationis spiritui sancto s̄epius tribuitur,
 quod eam ipse solus sine patre ac filio fecerit: sed
 quia spiritus sanctus est charitas & donum patris
 & filii: & ineffabili Dei charitate verbum caro fa-
 tum est, & ineffabili Dei dono filius Dei sibi uni-
 uit formam servi. Non ergo frequens de nomina- *1. c. 3. l. b.*
 tio sp. S. ab illo opere patrem vel filium secludit: *ad Phil. 2. 6.*
 sed potius uno nominato tres intelliguntur, sicut
 fit s̄epè in aliis operibus. Vnde Augustin. super hoc *S. Iustio.*
 mouens quæstionem, in hunc modum eandem *In Ench. ca.*
 determinat in Ench. ita inquiens. Cum illā crea- *18. ad mediū*
 turam quam virgo cōcepit & peperit, quamvis ad *In tom. 3.*
 solam personam filii pertinente, tota Trin. fecerit
 (neq; enim separabilia sunt opera Trinitatis) cur
 Ll 2 in ea

in ea facienda spiritus sanctus solus nominatus est? An etiam quando unus trium in aliquo operi nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? Ita vere est, & exemplis doceri potest. Audisti propositam questionem, eiusdemque solutionem vel expositionem.

Quo sensu dicatur Christus conceptus & natus de spiritu sancto.

*Aug. in prin.
c. p. ca. 38.
in Ench.*

Ibid. in fin.

*Ibid. c. 39.
in princ.*

*Non omnes
qui dicuntur
alicuius filii
de illo nati
sunt.*

Sed non est in hoc diutius immorandum. Illud enim mouet, quomodo dictus est Christus natus de spiritu sancto, cum filius nullo modo sit spiritus sancti. Nunquid et tibi sumus patrem homini Christi esse spiritum sanctum, ut Deus pater verbum genererit, spiritus sanctus hominem ex qua utraque substantia Christus unus esset & Dei patris filius secundum verbum, & spiritus S. filius secundum hominem, quem spiritus sanctus tanquam paternus de matre virginem genuisset. Quis hoc dicere audebit, cum hoc ita sit absurdum, ut nullus fidelis aures id valeant sustinere. Proinde cum fateamur Christum natum de spiritu S. ex Maria virginem, quomodo non sit filius spiritus sancti, & sit filius virginis, cum de illo & de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio non sic de illo, ut de patre. Sic autem de illa, ut de matre natus est. Non est autem coddicendum quicquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum. Ut non omittatur aliter de homine nasci filium, aliter capillum, aliter pediculum & lumbriculum, quorum nihil est filius. Ut ergo haec omittatur, quoniam tantum rei deformiter comparantur, certe qui nascuntur ex aqua & spiritu S. non aquae filios eos recte quispiam dixerit: sed dicuntur filii Dei patris & matris ecclesie. Sic ergo de spiritu sancto natus est Christus, ne etiam filius est spiritus S. Sicut econuerso non omnes qui dicuntur alicuius filii, consequens est ut de illo etiam nati esse dicatur: ut illi qui adoptantur. Dicuntur etiam